



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**[De Natvrali Ex Vngvivm Inspectione Praefagio comment.]**

**Baldi, Camillo**

**[Bononiae], 1629**

Di causis coloris, & figuræ macularum. [Cap. VI.]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13286**

nutrimentum tale esse putandum est, & quoniam in ea massa, quæ per venas meat, prævalet sanguis calidus, & humidus, & ob id purpureus, ideo in his qui secundum naturam bene dispositi sunt, in cute, sub vnguibus, & in corporis etiã alijs partibus apparet color sub rubeus, quem iuncta sanguini puro facit pituita. Hunc autem colorem, probabile est, accipere alimentum cum fuerit concoctum, & à facultate primum, ventriculi, deinde epatis elaboratum; facit enim per elixationem plenam ventriculus chylum album, quæ enim elixantur edulia, plerunq; videntur alba, vt carnes vitulinæ, & suillæ; Attractus chylus per Mesaraicas venas ad epas, ibi efficitur rubeus, nam quæ à calore sicco patiuntur, qualis est, qui in icore, illa rubescunt, si terræ & aquæ fuerint, sic lateres dum coquantur in fornacibus rubescunt, sic omnia quæ ab igne sicco vehementer patiuntur rubra fiunt, forte præter vtrunque genus plumbi, quoniam in ipso est plurimum aquæ prohibentis passionem ab igne tentatam quare liquefactum non rubescit, vt aurum, & æs.

*Causæ coloris, & figuræ macularum. Cap. VI.*

**C**olorum quæ in vnguibus reperiuntur causas exponere tentauimus, nunc de maculis macularumque passionibus aliquid dicendum; Apparent in partibus vnguium diuersi aliquando colores, etiam à maculis distincti. Nam plerique vngues, & præsertim pollicis habent partem inferiorem, quæ radix dicitur, candidiorem, quando, vt dictum est, humidior existit, si quidem propinquior tendini, qui albus est, quare minus transparet, id enim illi accidit, quod vitro irrorato à flatu per os exeunte contingit, tunc enim album videtur, neque transparet, neque lumen reflectit; Media pars, quoniam cornea est, & sicciore ideo magis transparet, carnisque & sanguinis colorem, & proprietatem representat; suprema cum præcæteris siccissima sit, & magis cornea, etiam magis oculis manifestat, quæ sub ipsa, aut in ipsa existant; Inter qualitates quas immediate animaduertit  
oculus,

oculus, sunt macularum colores, & figurae. Primum igitur dicamus quid ipsae sint, ex quibus, & a quibus fiunt, sic enim eorum natura nobis innotescet; Dictum est corpus, nostrique corporis partes nutriri sanguine qui in vasis reperitur, hic Heterogeneus est, & dissimularis, ex quattuor primis humoribus constans, & cum membra diuersa sint accidit etiam, quaedam modo plus de humore bilioso participare, alia pituitoso sanguine, alia demum melancholico magis gaudere, sic splen atrum ad se trahit humorem, serosum renes, pituitoso delectatur sanguine cerebrum, & partes membranosa; caro sanguinem trahit, eoque bene nutritur; At quamuis vnum quodque membrum, & corporis pars sibi proprium, & congeneum trahat humorem, tamen quoniam cum alijs mixtus est, accidit quod non omnis in naturam, & substantiam attrahentis membri conuertatur, quare euenit, vt aliqua pars expellatur tanquam excrementum, sunt igitur haec, quae in vngue visuntur maculae, partes excrementorum tertiae concoctionis, quae fit in tendine, & ad illius extremitatem, quae vnguis dicitur, peruenientes illum signant; Et quoniam contingit aliquando fieri imperfectam etiam hanc tertiam coctionem, ob imperfectionem caloris partis, & eius debilitatem, hinc paruus quidam nascitur flatus, qui si per cutis poros exiuerit, vestigium illius in vngue non relinquit, at si de tendine non exeat, neque ab eius calore resoluitur, crescens vnguis cum fatulento illo excremento facit radiosam maculam, id enim opus est caloris debilis, vt generet flatus, qui in diuersas partes distrahat, humorem cum quo iunctus est, Hancque flatus operationem conspici licet, in bulliente aquae, & in nubibus leni vento agitatis. Quid ergo sit macula, & quae radiofa existat, ex his patet.

Nunc colorum causas, & passionum, quas monstrat in vnguibus visus, scrutemur. Diximus chyromantas duodecim macularum passiones obseruasse harum vna erat albedo; Quae igitur sunt harum albedinum causa? Cum in tendine aliquid crassioris pituitae concoctionem, & applicationem,

siue

DE VNGVIVM PRAESAGIIS. 11

siue conuersionem insubstantiam tendinis effugerit, quasi excrementum ad vltimas partes fertur, & ad vngues perueniens eas colore inficit albo superficialiter, si contigerit in superficie tendinis constituisse, profundiores si in altiori parte concepta fuerit; si pauca admodum fuerit materia pituitosa, erit punctum referens macula; & si cum modico flatu conuincta radios habebit, at omni destituta flatu, carebit radijs, & quod in comætis videmus barbam facere, idem accidit in his radios maculis, barbatus fit comætes, quando quaeritur materia, vel non est tota simul, sed pars à calore dissipatur, pars trahitur, vel cum materia combustibili ad est iniunctus flatu, qui calorem fugiens materiam dispergit, ac dissipat, ita his in maculis radios a modico flatu distracta materia facit radios, & si flatu continuitatem materiae pituitosae soluerit, & distraxerit, fracta se se offeret macula, fusca est quam ater humor producit, at si rosea fuerit à flaua bile nascitur; rubra procedit à sanguine; liuida est quae actionem naturalis caloris fugit; neque enim nostri corporis partes liuescunt, nisi à calore fuerint desertae, & propter hoc mortuorum liuida sunt corpora, & vrina liuida ex Hippoc. mala est, & supra dictum est, vngues frigore liuescere; peiorque habetur liuidus color in vrinis quam niger, quoniam ille caloris naturalis extinctionem arguit, at niger à superabundantia humoris atrii potest causari. Colorem corticis castaneae maturae, aut Iecoris habent, quae à sanguine affato originem habere. Mixtae sunt in quibus plures vno humores conuenisse contingit. Quid igitur sint huiusmodi maculae, & ex quibus, & a quibus, & quomodo fiant, & cur tales appareant ex dictis arbitror posse esse manifestum. Quare apparet etiam has nihil cum Ioue, aut Marte, & Stellis habere commune neque vllam cum metallis convenientiam, nisi eam communissimam, per quam omnia dicunt secundum materiam esse eadem, at secundum formam diuersa.

*Alia*